# ORATIO BALDI CATANEI IN FUNERE SISTI 5. PONT. MAX. HABITA ROMAE IN...

Baldo Cattani



# ORATIO. BALDI. CATANEI in funere Sisti V. Pont. Max.



BIIT diem suũ, imo verò christiani orbis, qui eo cadente penè cecidit totus, extremum diẽ obijt Sistus Quintus sanctissimus idẽ, ac omni virtutũ genere Pontifex summus: in cuius funere luctuoso cũ eius vitam apud vos Patres Amplissimi, laudibus de more sim prosequuturus, in tam magna pręclarissimarum rerum silua, in hoc celeberrimo, ac totius Christianæ Reipublicæ augustissimo concessu (quæ duo maximè à dicendo deterrent) ingenioli mei cognita iam, satisq́; vobis perspecta imbecillitas animum facit, & dati temporis angustiæ, quæ si quid dicentẽ deficiet (scio deficient multa) me apud vos excusatum testantur, mentem recreant, exsuscitant vires, & ad dicendum non hortantur modo, sed impellunt quam maxime. Vnum illud fortasse me à proposito diuellere posset, quod eum apud vos laudo, qui vel aliquot vestrum suffragijs Pontifex est subrogatus, vel vestrum aliquos ad istam adeo insignem dignitatem sua auctoritate, vestrisq́; meritis prudens euexit: nam probatum illorum, sincerumq́; iudicium, horum virtutes & re ipsa declaratã excellentiam, quasi lateant, aperire velle; vos omnes apud vosmet laudibus efferre; vestrum omnium (vt ita dicam) sauciare modestiam; in me, quod tanta sim ausus, superbię crimen transferre; & impudentis animi vitio ferè videor, laborare. Verum cum mecum ipse mente peruoluo susceptam hanc grauem dicendi prouinciam inter tot doctissimos viros, & in hac vrbe totius orbis terrarum frequenti theatro, mihi vni à vobis fuisse demandatam, ad tantum obeundum munus securus accedo; non quod mihi plus deferam, quam debeo: sed ne de vestro iudicio, qui me elegistis, deq́; vestra prudentia minimum quidem me detracturum suspicemini. Dicam igitur de laudibus Sisti Quinti Pontificis Maximi, & ita dicam, vt singulas minime persequi, sed illarum nonnullas (quis enim omnes?) coaceruare contendam. Et ecce prima sese ob oculos ponit illustris illa claris nominis gloria, non à patria, non à generis nobilitate, non ab opibus, ceterisq́; eiusmodi rebus quasi mutuo accepta, sed suis parta, & propagata virtutibus. Quamquam enim illa (patria inquam, & genus) non ita fuere obscura, vt obscuro cuique lucem aliquam afferre minimè valuerint, ipse tamen adeò à se ipso resplenduit, vt hæc minora lumina à maiore perstricta fugata penitus, & ferè extincta sint visa. Ab opibus verò, & alijs, quæ vocant fortunæ bonis, inanem sibi gloriam captare non

olùm operæpretium non esse duxit, verùm ea omnia flocipendenda, & sepe verbis, & semper vitæ instituto apertè declarauit. Homo nempè christianus, atque ethnicorum dogmata aduersatus, quod Deo in vitæ ingressu dum baptizaretur pollicitus est, pompas scilicet, & vanas osurú diuitias, dum ageret in humanis vsque ad vitæ exitum pro dignitate seruauit. Vix dum enim infantiæ limina egressus, in Sancti Francisci sodalitatem nomen dedit, quod sine diuino, & numine, & nutu fecisse minimè est credendum. Nam in illa ætate, quæ in primo vitæ huius exordio nullius rei periculum faciens, nullis edocta experimétis, quid deceat, quidue dedeceat videre nó potest, puerulum vnum reperiri, qui ferè ab vberibus ad labores, ab incunabulis ad vigilias, à crepundijs ad cilicia, à matris amplexibus ad solitudinem, à comodis corporis sciens, ac uolens currat ad incomoda, & id certè non ob aliam causam, quam ut terrenis post habitis affectet cælestia, seq; ipso in terris, & apud homines neglecto, se tandem in cælo inter illas beatas mentes, & apud Deum lucretur & ornet, hoc non humanis uiribus, sed diuinis, non humano cósilio, sed spirituisancto tribuendum existimo. Id totum Sisto Quinto diuinitus contigit dum esset puer. Monasticam enim, & asperam sectatus uiuendi uiam Christi Domini uestigijs insistere, & Sanctum Franciscum, quem sibi eius uiæ ducem elegit, pro uiribus conatus est imitari. In huiusmodi autem uitæ cursu, in quo plerosque sui ordinis uiros præcucurrit, nónullos uerò, & eos quidem uelociores est assequutus, ad eam morum, & doctrinæ metam peruenit, ut inter suos sodales in præcipuis Italiæ Gymnasijs alios doceret: & florentissimas urbes, non sine discrimine suæ uitæ hæretica prauitate purgaret, cum à Summo Pontifice in hæreticos homines sibi esset facta inquirendi potestas. Hinc nullis laboribus pro Ecclesia Dei defatigandus negotiorum socius cum Vgone Cardinali Boncompagno mittitur in Hispaniam: cú eo scilicet Vgone, qui postea Summus Pontifex est creatus, Gregorius nempè eius nominis decimus tertius, cuius memoriam nulla vnquam tacebit ætas; vt ex socio socium, ex Pontifice Pontificem, cognoscere liceat. Omnibus verò in rebus, quamuis difficillimis, ita se gessit, vt absens adhuc, & multis reluctantibus (quod est inuidorum) vniuersæ Franciscanæ sodalitati præficeretur; nec multò post à Pio Quinto Pontifice Maximo Sanctæ Agathæ Episcopus crearetur. Tunc dignitas virum, qui diu latuerat cœpit ostendere: tale enim suarum virtutum specimen dedit, vt non dignitas viro, sed vir dignitati fuerit ornamétò. Ardua; & grauissima de religione negotia obijt libens, integerrimusq; confecit: nullum non pertulit laborem, quo peruehitur ad immortalitatem: ea omnia demum cóstanti passus est animo, quibus declararet apertè nullam quamuis maximam dignitaté sua merita exequaturam. Hunc tantum virum assiduo laborum, & studiorum

igne

igne purgatum, & probatum septies, regium meritũ diadema, inter vos Amplissimi Patres, qui reges estis, connumerari voluit Pius Quintus Pontifex Optimus, atque Beatissimus. At Deus immortalis quo nam Pontifice Cardinalis est renunciatus? eo certè Pontifice, cuius vitæ integritatem exteræ etiam nationes sunt admiratæ, cuius morum sanctitatẽ Barbari etiam populi sunt venerati; cuius diuinum robur, & arma omnes Catholicæ religionis, & Christiani nominis hostes fracti iam & deuicti pertimuere. Testis Gallia hæreticorum sanguine perfusa. Testis Aegeum mare exæstuans Turcarum cadaueribus plenum, & eius littora sanguineis vndis infecta. Testis vniuersus hic orbis, qui se Deo charũ tunc affirmauit, cum tanto Pontifice dignatus, tunc Deum indignatum doluit, cum tam bono patre fuit orbatus. Vt hinc facillimo intelligeremus negotio Sistum Pontificem maximè probatum fuisse virum, quia maximè ab omnium probatissimo probaretur: idq; ipsemet apertè tũc est testatus, cum vestra ista propè suprema dignitate decoratus nihil aliud antiquius, & in primis habuit, quam ut Christianam religionem, & pietatem, quoad eius rei fieri posset, re, verbis, & scripto tueretur, ac propagaret. Docet hoc Firmũ agri Piceni ciuitas nobilissima, cuius ipse Episcopus factus, & sua doctrina eam optimis imbuit præceptis; & sui exemplo moribus eam purgatis instituit. Doces tu Roma ciuitatũ omnium mater, & domina, quæ omnibus testatum voles, te quoties eum vidisti, toties eius admiratam fuisse virtutes. In te enim maturo consilio prudens, ac diligens de Christiana Republica summa tractauit negotia. Si verò interdum à negotijs fuerat feriandum, & licito fruendum otio, sese in villulam, quæ est inter vrbis recessus conferre solebat, atque sine arbitris in celebri illa solitudine sedens, ac tacens, se supra se eleuare, & in otio negotiosus, nunquam minus solus, quam cum esset solus viuere consueuerat. Ne mihi quæso vitio date Patres Optimi, si propero, quando esset insistendum, sique vobis delineata solum, & quasi penicillo inuoluta ea propono, quæ forent pingenda, & explicanda ad vnguem; nam ad finem orationis propero: neque huiusmodi res gestæ vllo indigent apud vos ornamento, cùm in vestra omnium memoria sedeant ornatissimæ. Venio igitur ad Sisti Quinti Pontificatum, qui magno Vrbis, & Orbis applausu me ad se vocare videtur. Crescebat in dies, ac tota penè grassabatur Italia prædonum, & sicariorum pestis insolita, atque loca ita inuaserat omnia, vt nullus hominum ordo, nulla conditio ab internecione, & rapinis secura reperiretur, nisi eorum, qui vel prædones, & sicarij essent, vel eiusmodi monstrosis bestijs fauerent, atque auxiliarentur. Sæuiorem, ac formidabiliorem hanc pestem reddebat annonæ caritas, quæ eo tempore vigebat non parua: quare omnia metu, squallore, gemitibus plena. Cũ subito suadente Spiritu Sancto per vos, sanctissima Procerũ cohors,

Sistus Quintus in Summum Pontificem datur Ecclesiæ Dei, qui periclitantibus Christianis rebus opem ferat; impios, & nefarios deturbet homines; annonæ vilitatem reportet; Christi tandem oues pascat, nec se ab ouibus pasci permittat. Factum ut erat in uoto. Nam vt primum Pontifex est declaratus, singula statim fugata sunt mala; diesq; clarior Ecclesiæ Dei visus est illuxisse. Ipse verò vt erat vir sapientissimus, graue sentiens Pontificatus onus, & à nullo portandum, nisi eiusmodi oneri manus submittat Deus, vt diuinum in hac re sibi præsto haberet auxilium, publicas in Vrbe indicit supplicationes (quod in grauioribus rebus semper etiam fecit) & spe veniæ peccatorum omnium omnes inuitat populos, vt à Deo summis contendant precibus, ipsumq; enixe, & toto animi orent affectu, vt Sistum Quintum Pontificem suum tanto onere ex parte leuare velit; vtq; sui Pastoris gressus dirigat in viam salutis æternæ: sic enim futurũ, vt res facilius, integriusq; tractentur, & Christianæ oues in Christi Domini caulas recta ducãtur. His omnibus pio, & catholico ritu peractis, statim alacer manum ad aratrum apposuit, neque vnquam retrò respexit, vt ad regnum Dei se aptum profiteretur. Tunc omnia pacata, purgata omnia, omnia vidimus tuta. Hæc ciuitas orbis regina magnificentissimis cœpta est exornari ædificijs: viæ per vrbem, & stratæ sunt, & apertæ: felicibus aquis summi inundati colles longo ductu in vrbem deriuatis: ingentis magnitudinis profani lapides expiati, quos alter Iacob erexit in titulum, ac salutifera superposita Cruce Deo sacrauit: duæ proceræ immensitatis columnæ, quas miro artifitio ædificatas, & insculptas, alteram Antonino, Traiano alteram dicauit antiquitas, collabentes iam, & vetustate corrosæ per ipsum restitutæ, ac Apostolorum Principibus eorum æneis inauratis imaginibus positis consecratæ: delubra sanctissimis constructa religionibus: Pontifices duo marmoreis, & sumptuosis cohonestati sepulchris, nouæ paratæ classes: noui Tyberi pontes impositi: nouæ fundatæ Ecclesiæ: tholus orbis miraculũ ad hanc Sancti Petri Basilicã perfectus: hęc & similia mira quadã celeritate, & spectantiũ admiratione ad finẽ vsq; perducta: vt nullus omnino insignis sit in vrbe lapis, qui Sisti nomen in fronte non gerat incisum; nullum in lapidibus Sisti nomen, quod vrbis decus, & ornamentum non patefaciat. Sanctius præterea, & ad vltimos casus seruandum ærarium constituit pecuniosum. Verum enim verò hæc, & alia huiuscemodi multa, quæ omnis videbit ætas, & quæ Pontifex cum alijs Christianis Principibus potest habere cõmunia, consultò sunt relinquenda, & ad ea deueniendum quæ sibi ipsum magis peculiaria habuisse, vel certè cum paucis communicasse cõperimus. Spectata primum in ipso morum, & vitæ integritas malis formidabiliorem, bonis verò amabiliorem: vtrisque tamen inconcussa animi fortitudo reddidit admirabiliorem. Nullæ eum preces, nulli metus à recto vnquã

proposito

proposito,& ab Ecclesiastica libertate tuenda,vel minimum flectere, vel tantillum dimouere potuerunt. Et zelo domus Dei inflammatus, ac pene exesus cuncta,quæ de christiana re cogitauit, cuncta, quæ est molitus,quævе exequenda mandauit,in Dei, & Catholicæ religionis honorē perficere pro viribus est conatus. Intelligens verò cor Regis esse in manu Dei, in turbulentissimis Ecclesiæ temporibus Deum imitatus modo ad seueritatem,modo sese vertit ad lenitatem;vt,si fieri posset, blanditijs alios alliceret,alios autem pœna perterrefaceret.Publica item,& priuata sic gessit negotia ; ut optimum Ecclesiæ Principem, ac prouidentē patremfamilias præ se ipse tulerit.Rerum experientia,ingenij acumine, ac doctrinæ excellentia sic polluit,ut nihil non uiderit, nihil non perceperit,nihil non intellexerit.Quare siquid agendum nihil ipse nouum suspicabatur : siquid dicendum, id omne prudentia, & sapientia aspersum ex ipso audiebatur. Profusam eius liberalitatem scientiæ omnes, & virtutes sensere,testis Firmum,testis Bononia,testis est etiam Roma: in illo nanq; publicum ad docendum apertum est gymnasium, in his verò priuata ad discendum instituta sunt collegia. Imo hoc idem egestas ipsa testatur, quę nulla explenda liberalitate, Sisti munificētia est satiata.Egenis enim hospitium in vrbe grande est ædificatum, & publici cōstituti census quibus ali,vestiriq; dum viuunt,commode possent.Eximiam verò animi magnitudinem nonnulla oppida ciuitatis nomine, & priuilegijs ab ipso donata,atque amplificata testantur : imo maxima ex parte vos ipsi hanc eādem estis experti. Sed quid oppida, quid uos cito Patres integerrimi? quos licet huius rei locupletes, & classicos haberem testes : cælū tamen ipsum,eiusdem rei,& testem, & prædicatorem habebo. Sensit enim hoc inter suos ciues quosdam in sanctorum numerum per Sistum Quintum fuisse relatos:quosdam Ecclesiæ Doctores pronunciatos: nonnullorum scripta librariorum incuria deprauata ad pristinam restituta integritatem; sacra plurimorum semisepulta monumenta in lucem data:præclara multorum seruata volumina: sanctis tandem mentibus in beatissimis illis regionibus,catholico cetui inter mortales,eius opera, vestroq; consilio,vt in Tridentina Synodo fuerat sancitū,Sacrosanctas Bibliorū paginas ad vulgatā redditas æditionē.Hinc Vaticanæ Typographiæ,hinc Vaticanæ maximo sumptu,atq; ornatu positæ Bibliothecæ. Vtq; pietas magnanimitati sese adderet comes ; Deiparæ Virginis,nonnullorumq; sanctorum templa Pontificijs Missarum sacrificijs statutis anni diebus condecorauit. Ex hoc tam magno rerum exordio maiora à tanto Pontifice erant expectanda,& maiora patrasset quidem, nisi mors eius inuidens immortalitati,quasi eum furata nimis immature nobis abripuisset. Incidit enim in febrem Pontifex Optimus, & quamuis ætate, morbo,laboribus fessus,renuentibus etiam medicis stetit per multos dies,quieuit nunquā,

Principum

Principum, & Reipublicæ negotia semper tractauit. Imo verò si vel medicus, vel suorum aliquis ad necessariam hortabatur quietem, reluctabatur ille, & huiuscemodi verbis Sisto Pontifice dignis eos quodammodo redarguebat. Decet (aiebat ille) principem virum stantem mori, non quiescentem. Oh præclarum præclarissimi viri dictum. Oh consecrandam æternitati sententiam. Quis bone Pastor, te appello Siste Quinte, quis te audito sic loquente dubitabit vnquam, vel hæsitabit libero affirmare te omni omnium laudum genere cumulate dignum fuisse? quis non dixerit in teterrimo huius vitæ carcere tuas laudes tanquam specula in posteris futuras Pontificibus, quæ lumen, quod sequantur ostendant? quod enim verbis significasti, id re ipsa comprobauisti. Stetisti igitur Siste, & ita stetisti, vt nulli Ecclesiæ hostes sedentem, nullæ quamuis lethales corporis egritudines iacentem, nullæ animi perturbationes offenderint deficientem. Stetisti Siste, & ita stetisti, vt vel quasi ad cælum euolaturus, vel quasi miseris opem daturus, vel quasi pro Christo videreris dimicaturus. Stetisti Siste, & tandiu stetisti, quandiu vixisti; nullam vnquam præter mortem nactus quietem: nam vbi primum Dei vox, quæ (vt pie credimus) te ad cælum uocauit, tuas intonuit aures, statim non quasi laborem recusans, sed quasi de labore præmium sperans, dicto obediens Christiano more te comparasti; & vitam cum morte, hoc est vigilias cum quiete, terras cum cælo, cum immortalitate commutasti mortalitatem. Quare non tua, sed nostra potius lugenda est conditio; tu enim nobis periclitantibus in portu nauigas; & eo vsque est lugenda, quousque vestra opera Patres Amplissimi, luctus; hic vertetur in gaudium. Agite ergo, precamur omnes, obtestamurq́; ea, qua soletis, maturitate, christiano gregi Pastorem, Dei Ecclesiæ reddite Pontificem; quem non nisi optimum futurum pro comperto habemus, cum ex vobis vnus necessario sit subrogandus. Dixi.

*Laus Deo Optimo Maximo.*

